

*cælestis Regni prælibavi, jam gustavi, & vidi, quoniam suavis est Dominus, jam bona, quæ mihi in cælis sunt præparata, ipso revelante cognovi.* Ex novo Testam. huc referuntur loca *Job. XVII. v. 3.* ubi *vita æterna collocatur in cognitione Dei Patris & quem is misit, Jesu Christi:* atque ita communem futuræ vitæ & inchoationis vitæ æternæ in hac præsentī vita definitionem tradidisse Christus creditur. vid. *D. Chytr. l. c. p. 176. Conf. Gerb. Loc. de V. Æ. c. 1. §. 7. p. m. 719. Rom. VIII. v. 23. & 24.* ubi fideles in hac vita *primitias Spiritus habere & per spem salvi esse dicuntur.* Vid. *B. G. Mylius ad h. l. Ebr. VI. v. 6.* ubi *conversis tribuitur gustus virtutum futuri seculi.* vidd. *Hunnius, Balduinus, Gerbardus, Hornejus. II. Petr. I, 4.* ubi *renatis tribuitur κοινωνία τῆς Θείας φύσεως, participatio divinæ naturæ.* Vid. *Osiander & Gerbardus ad eundem locum.*

IV. Inter exempla eorum, qui in hac vita gustaverint beatitudinem alterius vitæ, recensentur (1.) *Discipuli Servatoris, & spectatores glorificationis ejus, Petrus, Jacobus & Johannes,* quibus in actu transfigurationis Christi quædam obtigarint, quæ beatæ atque æternæ vitæ sunt propria, quod etiam indicent verba Petri: *Domine, bonum est, nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula &c.* vid. *Brentius ad Matth. XVII, 4. M. Chemn. in Harm. C. LXXXVII. p. 1675. L. Osiand. ad Matth. XVII. Marc. IX. & Luc. IX. Hunnius ad Matth. XVII. & Gerbardus ad locum eundem.* (2.) *Stephanus,* videns cælos apertos & Jesum stantem a dextris Dei. *Act. VII. v. 56.* vidd. *Brentius & Gerbardus ad h. l.* (3.) *Paulus* in tertium cælum raptus, & inenarrabilia percipiens: qui utrum tunc temporis intra corpus, an extra illud fuerit? nescire se profitetur, *II. Cor. XII, v. 2. 3. 4.* vid. *Hunnius & Balduinus ad h. l. Gerbard. T. V. III. L. de vita æterna cap. II. §. 19. p. m. 744.*

V. Quod si res postularet, possemus etiam Reformatos ac Pontificios, qui & ipsi *πρόγευσιν* seu prægustum aliquem æternæ vitæ in hac vita agnoscunt, adducere. Verum id potius agendum est, ut veram prægustus illius, qui revera hominibus obtingit, atque a Nostratibus agnoscitur, rationem & causas expona-

pona-